Quelle: http://manuscripta.at/?ID=549
Copyright: Klosterneuburg, Augustiner-Chorherrenstift

hendo materie / angelus aut non unit sibi sed solum ut motor mobili / et ergo anima baptisato corpore baptisatur / non autem angelus quia anima et corpus faciunt unum suppositum / non autem sic angelus cum corpus quesitum assumat / et ideo secundum philosophum in prohemio methaphysice Actus sunt suppositorum anima baptisato corpore baptisatur / non autem angelus et per consequens anima potest suscipere caracterem sacerdotalem non autem angelus / ergo angelus consecrare non potest. Sed quid si angelus consecraret unam hostiam dicendo eam esse consecratam / numquid illa debet adorari. Dicendum est / quod si angelus malus consecraret eam non esset adoranda / nisi constaret pro certo quod esset rite consecrata. Sed si angelus bonus consecraret eam esset adoranda / et ratio est / quia angelus malus teste Salvatore mendax est et pater fallacie et semper nititur decipere homines / ergo non debet sibi credi. ~~Angelus~~ Secundo quia sicut dicit Apostolus 2 ad Cor. 11o / Angelus malus sepe transfigurat se in angelum lucis / semper ergo hostia consecrata ab angelo est adoranda sub condicione / scilicet quod si esset rite consecrata nisi constaret pro certo quod esset angelus bonus et cetera.

Capitulum tercium de materia eukaristie

Materia sacramenti eukaristie est duplex / scilicet panis et vinum. Et ratio est / quare ista duo sunt materia huius sacramenti / quia istud sacramentum ordinatur ad spiritualem nutricionem / sicut ergo nutricio corporalis consistit in cibo et potu corporalibus / et panis habet maxime racione cibi / et potus racione vini / ita nutricio spiritualis consistit in cibo et potu spiritualibus / et ideo in isto sacramento corpus Christi sub specie panis datur in cibum et sanguinis Christi sub specie vini in potum / et ita dicit ipse met Christus Johannis 6to. Caro mea vere est cibus et sanguis meus vere est potus. Sciendum autem / quod panis qui est materia huius sacramenti est panis de tritico et aqua elementari confectus / dico panis / quia in pasta non potest confici corpus Christi / dico de tritico